



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-568446-p0001-1

DFG

~~G. VII.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-76.

SIGNAT. CCCXIII.

DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM  
SEXTA  
DE  
**AFFECTIONIBUS**  
**ENTIS DISJUNCTIS IN**  
GENERE, ET IN SPECIE  
DE  
ACTU ET POTENTIA  
*Quæ*  
DIVINA ASPIRANTE GRATIA  
PRÆSIDE  
*Viro*  
**CLARESSIMO ATQVE PEREXIMO**  
**Dn. M. CHRISTIANO BILEFELD**  
Lubec: Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Ad-  
juncto meritissimo, Fautore ac Promotore suo  
æternum devenerando  
*Publico dextrè Philosophantium examini*  
*exhibetur*  
*et*  
**M. CHRISTIANO HOPNERO**  
Francenberga - Misnico  
AUTHORE.  
*Ad d. 22. Novembr. Horis matutinis*  
In Auditorio Minori

---

WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.  
ANNO M DC LI.







THES. I.

AFFECTIONES ENTIS DISJUNCTÆ DANTUR,  
quæ illius latitudinem exhauiunt.

§. 1. Affectioñes Entis Unitas excipiunt Disjunctæ. Sed quo significatu h̄ic vox Affectionum sumenda sit, patet ex di-  
sput. 2. Neque diu h̄ic laborandum de probanda. Affectionum Entis disjunctarum existentia, cùm ejusmodi conceptus communissimos, quos nulla particularis disciplina sibi vendicare potest, Ens sub disjunctione denominare, nemo negare pos-  
sit, nisi qui vel summa labore ignorantia, vel summo contra-  
dicendi trahatur studio. Denominant verò hæ ut reliquæ af-  
fectiones ipsum Ens non in quovis statu, quem in mente etiam post  
varias abstractiones obtinet, sed ipsum Ens & essentiam, prout ex na-  
tura rei secundum statum objectivum se habet in ipsa rerum natura:  
quæ sunt verba Excell. Dn. D. Schatff. in Theor. Transc. disp. 12.

P. 747.

THES. II.

Affectioñes Entis Disjunctæ sunt con-  
ceptus generalissimi Ens reciprocè sed dis-  
junctè denominantes.

§. 1. Ipsæ Affectioñes Disjunctæ dupli modo considerari possunt. Vel considerantur respectu sui Subjecti, quod non ov-  
erūμως, sed παρερύμως denominantur, & quidem reciprocè,  
at sub disjunctione, ita ut omne Ens sub disjunctione ab his af-  
fectionibus denominetur, & quicquid ita non denominari po-  
test, illud etiam non sit Ens. Differunt autem hæ affectiones ab ipso Ente non realiter, sed ut unitæ formaliter tantum. Vel  
considerantur respectu membra opposita, & sic affectionis disjun-  
ctæ unum membrum ab altero differt realiter distinctione rea-

A 2

lia na-

Si analogicè dicta, in quantum scil. formaliter sumitur utrumq; membrum. Ratio est, quia sunt modi oppositi, sibi mutuo incommunicabiles, & sic realiter à se invicem differunt.

THES. III.

Affectiones Entis Disjunctæ Primariæ  
sunt vel immediatæ vel mediatæ.

§. 1. *Immediatæ* sunt, quæ proximè sine interventu alterius affectionis unitæ in Ente fundantur & illud modificant, ut Actus & Potentia &c. licet quarundam affectionum disjunctarum alterum membrum ulteriùs in sua membra dividi possit, ut Diversum in Distinctum & Oppositum, Compositum in Totum & Partes; imò nonnullæ affectiones disjunctæ videantur mediantibus disjunctis affectionibus Ens denominare. Proinde nemini litem movebimus cùm de mediatarum affectionum ex aliis deductione, tūm de ipsarum affectionum disjunctarum ordine, quo quis eas proponere velit, modò non confusionem aliquam introducat, quam sæpissimè in Maccovii Metaphysica & aliis invenimus.

§. 2. *Mediate* sunt, quæ Enti mediantibus aliis affectionibus convenient, ut Identitas & Diversitas mediante Unitate; Naturale & Artificiale mediante Veritate &c. Nos igitur primo loco de Immediatis agemus, initium de Actu & Potentia facturi. Hac enim affectione ignoratæ cæteræ non ita facilè intelligi possunt, hæc autem sine illis optimè percipi potest.

THES. IV.

ACTUS ET POTENTIA immediate Ens;  
attamen sub disjunctione dominant.

§. Actus & Potentia hic Transcendentaliter sumenda & indeterminatè ad existentiam actualem sive substantiatum sive Accidentium: & quidem non ut 1. de statibus diversis unius Entis, ut eadem rosa, quæ in æstate Ens actu est, in hyeme Ens in Potentia; neque 2. ut de diversis unius ejusdem Entis respectibus,

ut

ut Petrum considerando, vel quatenus est extra causas, vel  
quatenus in causis: sed 3. ut de Entibus essentialiter divisis diver-  
sisq; dicatur.

THES. V.

Actus est, quo Ens vel essentialiter &  
intrinsecè actualitatem essendi sive existen-  
tiam implicare; vel potentiam completere de-  
nominatur.

§. 1. Actus vox ratione primæ impositionis indicat id, quod  
potentiā activā completur ad operationem: deinde traducta  
est eadē ad significandum id, quod potentiam passivam perficit  
ut Forma est actus ratione materia: denique id voce actus de-  
notārunt, quod revera est actu, sicuti id patet ex Joh. de Rheda  
p. 2. Controv. 12. a. 2. & alijs Scotistis. Hinc annotant Autho-  
res ἐντελεχεία & ἐνεργεία τινα significare revera esse. Conf. Ari-  
stot. 1. 2. Phyl. c. 1. Vide p. m. Dn. D. Jacob. Mart. in Exerc. Me-  
taph. l. 1. exerc. 3. theor. 10. Ulterius ergo Actus existentiam  
Entis Enti essentialiter & intrinsecè competentem cum exclusi-  
one omnis potentiae quoad esse exprimit. Vide Excell. Scharff.  
Theor. Transc. p. 499.

§. 2. Hinc vocabulum hoc dupliciter sumitur: *absolutè*,  
in quantum dicit actualem rei essentiam cum negatione poten-  
tiæ ad existendum. 2. *respectivè*, dum relationem importat ad po-  
tentiam. Utrumque in definitione attenditur. *Ensenim*, quod  
essenti aliter & intrinsecè actualitatem essendi seu existentiam impli-  
cat, rectè dicitur *actus scil. absolutè*, docente plur. Rever. & Excel.  
Dn. D. Scharfio in Theor. Transc. disp. 9. p. 491. quando descen-  
do, vel expressius concipio Entitatem, tum deprehendo, quoddam Ens  
esse essentialiter actum, ita ut intrinsecè in suo conceptu propriæ Enti-  
tatis involvat existentiam, adeoq; suā natura est actus, & nullo modo  
potest esse durans. Et talis Actus DEUS est. Actu ergo & actuale  
esse, quod Ens extra causas suas dicit, & si de Deo usurpatu-  
negativè explicandum sit hoc modo, quod non in causis est, la-

tū patet quām esse actum. Siquidem & ea actu esse dicuntur quæ tamen ratione essentiæ potentiam habent ad esse, quam Actus simpliciter excludit. Relative verò quando Actus sumitur, denominat Ens, quod complet & perficit potentiam.

THES. VI.

Actus est vel essentiæ & subsistentiæ, vel purus & impurus, vel Entitativus & Formalis, vel primus & secundus, vel signatus & exercitus.

§. 1. *Actus essentiæ* est, quo aliquid constituitur in suo esse actuali. *Subsistentia actus* est, qui Enti singulari ultimum dat complementum. Hic in irrationalibus vocatur *Suppositalitas*, in rationalibus *Personalitas*. Tenendum verò 1. utrumque hunc actum in Ente increato non differre realiter: at in Ente creato nil prohibere, quin differat realiter. Est enim in his Suppositum modus naturæ posterior, adeoque in creatis realiter distinctus. 2. Subsistentiam idcirco non planè inseparabilem esse ab actu essentiæ. Nam fieri potest, ut aliquod Ens in alieno Supposito existat, v. g. ignis in Supposito ferri carentis. Veruntamen hæc cautio simul hic attendenda, quod in perfectioribus naturis Subsistentia sine singulari virtute divina ab existentia separari nequeat. Sic humana Christi natura per se considerata habet quidem actum essentiæ, cum essentialiter perfecta sit; sed non actum Subsistentiæ. Per se enim non subsistit, verum in Subsistentia τελόγη, quem Subsistentiæ actum præternaturali modo communicatum habet. Hinc non habet saltem operationes naturales, sed etiam personales.

§. 2. *Actus purus* dupli modo ita dicitur, vel qui omnis potentia passiva expers est, vel qui à respectu ad materiam absolutus est. Tribuitur hic DEO & angelis, sed diversimodè. DEUS n. actus absolute & simpliciter purus, adeoq; purissimus dicitur: angeli autem actus puri secundum quid sunt, quia collati ad DEUM non sunt simplices, sed compositi, immo sunt potentia non actus.

Actus

*Actus impurus est, qui concretioni materiali & potentialitati est obnoxius, vel ad aliquid perficiendum ordinatus. Et sic anima humana, licet à corpore separata, tamen dicitur actus impurus, quum retineat relationem ad corpus, ad quod perficiendum videlicet est ordinata.*

§ 3. *Actus Entitativus est, qui rem ponit extra nihilum. Formis, qui rem corpoream actuat, ut rei Forma. Ita tempore hyberno muscae, ranæ &c. actu Entitativo, non Formali esse dicuntur, cum quidem tum temporis existant in rerum natura, per Formam autem non operentur. Sic DEUS, Angeli, Formæ ipse, & Accidentia sunt actu Entitativo.*

§ 4. *Actus Primus dicitur cuius cunque rei forma vel potentia, à qua operatio procedit. Secundus vocatur ipsa operatio à rei forma vel potentia procedens. Ergo Actus primus h. l. non sic dicitur respectu DEI, ad quem creaturæ collatae omnes dicentur actus secundi; neque actus primus & secundus intelliguntur de successione actuum, quomodo primus esset, qui præcederet, qui sequeretur esset secundus, adeoque daretur tertius & quartus. Sed primus indigitatur, quatenus est principium, & causa Secundi: Secundus, quatenus est istius causatum & ab eodem dependet.*

§. 5. *Actus denique Signatus est, quo res à singulis abstrahitur & in universalis consideratur, cum definitur & dividitur. Exercitus, quo res multiplicatur in suis singularibus atq; in concreto consideratur. e. g. in Logica considerantur Genus, Species, Definitio, in actu signato: in aliis vero disciplinis realibus in actu exercito, prout nimis in hac vel illa materia spectantur. Hinc multa in actu exercito vera sunt, quæ in actu signato non procedunt: & vicissim. Sic illud Axioma Logicum, Genus prædicatur de specie, verum est in actu exercito, h. e. quatenus ad materiam applicatur, non vero in actu signato. Non enim dico, Species est Genus; sed in actu exercito, homo est animal. Sic Contingentum non datur scientia, scil. in actu exercito: datur tamen in actu signato, quum in Metaphysicis contingens definiatur & dividatur.*

THES.VII

THES. VII.

POTENTIA est, qua Ens vel essentialiter potentiale, vel actum largiri aut recipere denominatur.

§. Sicuti Actus dupli modo sese habet: ita etiā potentia. Ens enim illud, quod essentialiter & in intrinseca sua natura importat potentiam ad esse & non esse, rectè dicitur & per se potentia vel potentiale. Existentia enim ipsi accidentaliter convenit. Quæ sunt verba Excell. Dn. D. Scharrfii in Theor. Transc. p. 491. seqv. Terminus igitur potentia insinuat cum essentiam in se potentiam ad esse & non esse habentem, cum actualis essentiæ vel existentiæ negationem: & sic quoad ultimam acceptiōnem dicitur Ens in potentia, quod de se nondum est Ens verum & reale. Vide Partit. Metaph. Dn. D. Jacob. Mart. p. m. l. 2. f. 3. p. 699. 722. Theor. Transc. Dn. D. Scharrf. p. 107. Deinde Potentia quoque respicit actum, quem vel largitur, vel recipit. Hinc.

THES. VIII.

POTENTIA est aut Activa, aut Passiva.

§. I. Potentia Activa est vis agendi in aliud, in quantum aliud. Vis agendi h. l. non est Accidens, (loquimur enim de Potentia Transcendentali) sed est ipsum Ens, quod à Potentia denominatur, quum hæc realiter non differat ab essentia rei. Et patet, quod non solis cōpetat Accidentibus, sed substantiis quoq; imò his maximè, utpote à quibus omnis est actio, quamquam per Accidentia agent. Dum ergo in Substantia ex actu & potentia sit unum per se, non potest illa potentia Accidentalis esse, quia ex illa & actu substantiali neq; sit Substantia neq; unum per se. Vis igitur illa h̄ic intelligenda est, in quantum formaliter & immediatè est agendi principiū, non autem efficienter, sunt verba Excell. D. Calovij. Aliud verò in quantum aliud non denotat tantum Subjectum realiter ab agente distinctum; verūm includit quoq; negativum seu non-Ens, quia divina potentia in non-Ens agit. Reduplicatio autem diversum agentis & patientis respectum ad minimum connotat. Multa namq; sunt, quibus vera potentia agendi assignatur, in quibus tamen realis illa diversitas locum.

uon



non habet, v. g. in immanentibns actionibus, quales sunt intel-  
ligere, velle, ratiocinari: itemque in his, quæ in seiphs agunt,  
ut si in igne seipsum movente.

§. 2. *Potentia Passiva* est vis patiendi ab alio. Talis poten-  
tia in DEO non datur, cùm imperfectionem & subjectionem a-  
liquam involvat: sed tantum in creaturis tam incorporeis quam  
corporeis. Sic passio cadit in Angelos, quatenus in cognitio-  
ne sua perficiuntur, aut quatenus à DEO puniuntur.

THES. IX.

POTENTIA ACTIVA alia Infinita est, alia  
Finita.

§. 1. *Illa* Soli DEO competit: *Hæc* soli creaturæ propria est.  
Potentia quidem, propter Actui opponitur, DEO non rectè attri-  
buitur, ut pote qui est merus actus & ipsum agere. Quanquam  
enim DEUS non semper creet mundum, sed potentiam crean-  
di habeat: actus tamen & potentia in DEO non est aliud atque  
aliud. Dicitur autem infinita hæc potentia vel *intrinsecè* respe-  
ctu Entitatis, quæ est ipsa DEI essentia: vel *extrinsecè* respectu  
Objectorum, tūm *extensivè*, quia plura facere potest, quam facit;  
tām *intensivè* ratione modi, quia nunquam extra se agit per  
omnem modum essentiæ, quin possit efficacius agere.

§. 2. Subdividitur in *Absolutam* & *Ordinatam*. Quæ divi-  
sio iterum non ita intelligenda venit, ac si duæ realiter distin-  
ctæ in DEO sint potentiae. Neutiquam. Sed quemadmodum  
DEUS unus est & simplicissimus; ita etiam unam & simplicif-  
fissimam habet potentiam. Interim in ordine ad varias actiones  
a nobis secundum rationem per inadæquatos conceptus in plu-  
res potentias distinguitur. Est autem *Absoluta potentia*, qua  
DEUS simpliciter omnia potest, etiam quæ præter & supra com-  
munem rerum ordinem sunt. Pertinent igitur ad ejus Objectum  
omnia absolute possibilia, quæ ipsi Essentiæ infinitæ atq; opti-  
mæ non sunt contraria, ut imperfectiones; vel quæ rationem  
Entis non negant, neque contradictionem implicant. Hæc  
enim rationem factibilium habere nequeunt, sed impotentiam

B

potius

potius in seipsis complectuntur. Ea propter inepti sunt, qui dicunt, DEUM non omnia posse, quia non possit aliud infinitum creare, peccare, mori &c. cum prius aduersetur divinæ essentiaz, reliqua verò summam magis impotentiam atque imperfectionem arguant, quam potentiam. Inepti quoque sunt, qui Contradictoria hæc esse statuunt: Corpus Christi est in uno loco præsens scil. naturaliter, corpus Christi est omnipræsens scil. unionis gratiâ. Quandoquidem hic non opponitur Ens non Enti, sed Ens Enti subordinatur. Ergo singenda non sunt contradictoria, & divinæ potentiaz opponenda; siquidem DEUS omnino plura potest, quam humana ratio intelligit: quæ propterea ex divina revelatione, non ex humana intellectione sunt addiscenda. Absoluta igitur hæc potentia DEUS omnia potest, & quæ vult, & quæ non vult.

§. 3. *Ordinata* verò Potentia est, quam DEUS operatur secundum communes leges & causas à seipso institutas. Vocatur enim *Ordinata* respectu ordinis in natura instituti, quem DEUS observare creaturæ se obligavit; non quidem ac si DEUS à natura determinetur, & ad causas secundas alligetur, sed quod DEUS ipse potentiam suam determinet, & ad certum opus liberimæ sua voluntate applicet. Ita secundum hanc potentiam parentibus liberos excitat non ex lapidibus, sed mediante semine; sustentat hominem nutrimenti beneficio, quem tam secundum absolutam absque eo conservare posset. Hinc dicitur: DEUS per absolutam suam potentiam multa potest, quæ secundum ordinatam non facit. Nam impossibilitas hæc non sic dicitur propter defectum divinæ potentiaz: sed ratione mediorum semel à DEO ita ordinatorum, seu propter defectum rei factibilis, quæ non capax est hujus vel illius actus, quoniam pugnat cum natura ejus.

§. 4. *Finita Potentia* itidem duplex est: Rationalis & Irrationalis. Hæc ad unum extremum determinata est, ita ut positis sufficientibus ad agendum requisitis non possit non agere. Illa contraria est, quæ positis omnibus ad agendum requisitis indifferenter se habet non tantum ad contraria Objecta, sed etiam ad actus

actus contradictorios circa idem Objectum. Hoc est, potest agere & non agere. Appellatur *rationalis* non ob intellectus ratiocinationem & specialiter ita dictum discursum; sed ob rationalcm voluntatis libertatem. Neque etiam contrarietas objectorum hic respectu ipsorum objectorum attendenda, sed tantum quoad contrarietatem actus: velle enim unum & alterum nolle contrariè se habent. Similiter & oppositum (*irrationalis potentia*) non ita strictè sumendum, prout solis brutis competit, sed pro non-libertate, seu potentia non-libera, ut etiam inanimatis conveniat. *Rationalis* deinde potentia sedem suam potissimum in voluntate habet, in quantum illa formaliter & per essentiam libera est, cujus ratione maximè hic attenditur; consequenter vero & participativè etiam intellectus, appetitus sensitivus & locomotiva nuncupantur potentiae rationales. *Requisita* denique ad agendum sunt, sufficiens virtus in agente, patientis idoneitas, ejusq; propinquitas, medii debita constitutio, resistantiae absentia, prævia dispositio.

THES. X.

POTENTIA PASSIVA dicitur alia Objectiva, alia Subjectiva.

§. 1. *Potentia Objectiva* est, qua res sub habitudine ad potentiam productivam spectatur. Hoc modo res dicitur in potentia objectiva ante sui productionem & existentiam. Verum Potentia ad Objectivam & Subjectivam æquivocè sese habet. Potentia enim objectiva neque propriè est potentia, (si enim Ens nondum est, quomodo in se poterit habere potentiam aliquam? neque distincta ab Activa & Passiva). *Subjectiva* est habitudo Subjecti ad formam recipiendam: ut materia dicitur potentia ad formam recipiendam.

§. 2. Hæc dispescitur porro in *Naturalem* & *Obedientiam*. *Naturalis* est aptitudo rei, quæ ab agente naturali ad actum naturalem deduci potest naturaliter. Quæ iterum dividitur vel respectu ordinis, quem habet ad actum; vel ratione ipsius actus. *Ilo modo* dicitur vel propinqua, vel remota. *Hoc est vel Substantia*.

stantialis vel Accidentalis; prout scilicet vel actus ejus est Substantia vel Accidens. *Obedientialis* verò potentia nihil aliud est, quam non sufficiens repugnantia Subjecti, in quod agens externum præter vel supra naturam ejus agit. Hæc ergo non tam est in Subjecto passibili, quam in agente; & nominatur obedientialis, quia subjectum illud adeo validum non est, ut virtuti agentis renitiqueat. Hinc ratio Formalis ejus consistit in negatione seu non-repugnantia; à qua etiam denominatur *Potentia secundum non repugnantiam*. Diversimodè autem illa sese habet ad DEUM, angelos & homines. Respectu DEI quævis res, quæ est extra DEUM, potest fieri quodvis, modò non involvat contradictionem sive repugnantiam. Angelorum respectus obedientialis potentia illis tribuitur rebus, quæ ab his fieri possunt, quando v. g. corpora sibi assumunt varia, varieque mouent & figurant. Respectu hominis datur, quando homo in res naturales formas reales artificiales introducit. Atque hæc brevissimè de Actus & Potentiæ descriptione ac distributione. Sequuntur.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

I.

*Posito Actu primo non continuo potest inferri secundus.*

Actus enim primus habet se instar Formæ: Forma autem optimè esse potest, licet non operetur. Sic non necesse est, ut homo semper actu rideat, quia in ipso datur risibilitas. Deinde quoq; actus primus vel ab objecto aliquo, vel à superiori agente impediri potest, ne traducatur in actum. *Ab Objecto*; quando v. g. magnes succo allii illitus non trahit ferrum: quando circumforanei corpus liquefacto plumbo lavantes vim adurendi succo mercurialis & portulacæ (ut memorat Scaliger Exerc. 13, f. 3.) impediunt. *A superiori agente*; quando v. g. tempore Iosuæ motus solis inhibitus fuit: quando ab igne in fornace bablynica actus comburendi sublatus fuit. Primum enim agens concussum suum pro liberrima voluntate subtrahere, actumq; secundum refranare potest.

II. Pa.

**II.**

*Posito actu secundo necessariò infertur primus.*

Actus quippe secundus veluti causatum est, & habet se ad primum ut actus ad potentiam. Jam vero actus potentiam, & omne causatum causam suam præsupponit. Hinc quia Christus, quatenus filius hominis est, in extremo judicio omnes omnium hominum & actiones & cogitationes manifestare atq; judicare debet, necessariò quoque omniscius sit oportet. Judicare enim est actus secundus, qui primum præsupponit: jam vero potentia ista omnes cogitationes humanas judicandi & revelandi absque eorum notitia consistere nequit. Similiter, quotiescumque humanæ Christi naturæ actus omnipotentiae assignatur, infallibiliter inde ipsa omnipotentia inferri, eidemq; rectissimè attribui potest, cum actus potentiam prærequirat.

**III.**

*Negato actu secundo non statim negandus est primus.*

Nam potest Ens esse & adesse, ubi ejus operatio non sentiatur. Perperam ergo concluditur: corpus Christi in S. cœna non tangitur, palpatur, videtur, E. non est præfens. Aliud sane est potentia videndi, aliud ipse actus: ab hoc ad illam non valer argumentatio negativa, quoniam, ut Scaliget. babet Exerc. 250. f. 3. aptitudinis actus non est in quolibet Individuo necessarius. Sic licet Christus in statu humilationis divina auxiliatrix non semper exeruerit, non tamen idcirco ipsi deneganda sunt.

**IV.**

*Omne quod contradictionem non implicat, DEO  
est possibile.*

Quia DEUS agens infinitum est, in quo nullus datur defectus, cuiusque potentia ad nullum Entis genus est limitata, sed extendit se quoque ad non Entia: imò ex quovis Ente & ex non Ente potest DEUS facere quodvis. Sola excipitur contradictione, h. e. quæ implicant simul esse & non esse; quia hæc ex numero absolute impossibilium sunt. Impossibilia autem posse, est non posse. Hinc præclarè Augustinus contra Faustum ait: *Quisquis icta dicit, si DEUS omnipotens est, faciat, ut quæ facta sunt.*

acta non fuerint; non videt, hoc se dicere: Si DEUS omnipotens est, faciat ut ea quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint. DEUS quidem etiam impossibilita dicitur agere, sed quæ sunt impossibilia naturæ, non quæ sunt impossibilia naturâ, h. e. quæ rei Definitioni & naturæ repugnant. Simili modo DEUS etiam contradictoria præstare potest: at qualia? non quæ respectu potentiaæ divinae contradictoria sunt, sed quæ respectu potentiaæ & scientiaæ humanae talia videntur. Sedulò ergo cavendum, ne proclametur statim impossibile, quod intellectus nostri cæcitas nec videre, neque rationis nostræ infirmitas capere potest. Manebit in omnem æternitatem instar Axiomatis immutabilis verissimum illud Apostoli effatum: DEUS potest super omnia facere, et am superabundanter magis quam petimus aut intelligimus. Quod si itaque profiteri aliqui ausint, ne DEUM quidem totâ suâ omnipotentia efficere posse, ut vel duo corpora in eodem, vel unum in diversis sit locis, omnino ostendere debent, implicare hæc contradictionem respectu potentiaæ divinae: id quod nunquam probatum dabunt.

V.

*Ex duobus Entibus in actu non fit unum per se.*

Intellige 1. in actu completo & perfecto. 2. Ex Entibus possimum compositis, sive Entibus simpliciter & per se subsistentibus, nec ad aliud sub ratione partis & complementi ordinatis. Hinc non sequitur: elementa in actu etiam completo in mixtis existunt, Elementa non sunt unum per se, sed per Accidens: cum elementa non sint Entia composita, sed comparatè simplicia, quæ ipsa compositum efficiunt, & in mixto rationem partium atque complementi induunt. Neque etiam sequitur: Persona divina & humana natura in Christo sunt Entia in actu, Elementa non constituunt unum per se. Humana enim natura non per se subsistentia propriâ subsistit, sed communicata videlicet  $\tau\tilde{\alpha}\lambda\circ\gamma\circ$ , atque rationem partis subit.

VI.

*Actus primus potest alteri communicari.*

Sic Forma communicatur materiae, vita corpori. Est quidem

dem actus primus Subjecto suo seu ei, cui primò inexistit, intime conjunctus, interim non est simpliciter incommunicabilis. Non enim communicando deserit Subjectum suum, & in aliud emigrat aut transfunditur, sed communicatur alteri quoad communem, at intimam possessionem, ita ut Subjecto suo proprio essentialiter, per se, primò ac immediatè competit, alteri verò καὶ ἐνώπιον καθά συνδύασιν ob arctissimam unionem.. Proinde actus qui communicatur, debet ei cui communicatur, arctè esse unitus. Applicemus hoc ad humanam Christi naturam. Illa similiter actum primum communicatum habet, cùm non subsistentiā propriā, sed subsistentiā τελόγω existat. Actus Subsistentiæ etiam utrique intimus est, sed alteri per essentiam, alteri per unionis gratiam.

VII.

*In uno Ente plures possunt dari actus primi.*

Non hic sermo fit de actibus Accidentalibus, quos in eodem plures dari extra controversiam positum est: neque de actibus Substantialibus ratione distinctis, ut sunt subsistentia & essentia in Ente simplicissimo: sed de actibus Substantialibus realiter distinctis. Tales in uno Ente plures dari exinde patescit, quia in uno quoque Ente Substantiali duo occurunt, Essentia & Subsistentia: quæ non simpliciter unum sunt, licet à multis imperiti confundantur. Unde Scaliger dicitat l. i. de plant. p. 106. *Essentiam aliud esse & aliud existentiam (seu potius Subsistentiam) solis claris ac divinis ingenii compertum est, qui abducto à affectionibus animo soli studet veritati. Et Zabarella existentiam nominat quiddam additum essentiæ l. 2. de prim. mat. c. 3. Additum autem ab eo, cui additur, differre necesse est. Atque hinc sit, ut in quovis Individuo duo exsurgent actus primi, quorum alter Essentialis, alter Subsistentialis (potius quam existentialis) vocari queat: quam ob causam ipsa quoque attributa variant, dum quædam dicuntur respectu Essentiæ & sunt communia, quædam respectu subsistentiæ & sunt singularia. Sic docilitas omnibus communiter hominibus convenit, bonum vero ingenium seu mentis acumen non nisi Individuis. Sic non raro quoque accidit, ut du-*

actus

actus essendi unum constituant actum Subsistendi, ut sit in ferro ignito, adeoque essentia assumat actum Subsistendi alienum. Id quod etiam nostræ humanæ animæ evenit: quæ quamdiu corpus informat, propriam & peculiarem Subsistentiæ non obtinet, sed eandem cum corpore possidet. Atque hæc non incommode applicari possunt ad humanitatem Christi. Ubi inter actum Essentiæ & Subsistentiæ accuratè est distinguendum. Christus siquidem secundū humanam naturam habet actum essentiæ naturalem, quia ipsius essentia humana essentialiter perfecta est: habet etiam actum Subsistentiæ, verùm non naturalem & ex humana natura provenientem, sed communicatum vi personalis unionis. Ex quo sequitur, in humana Christi natura esse duos actus primos, actum scilicet essentiæ & actum Subsistentiæ. Quod in statu præternaturali, quando natura alterius naturæ subsistentiæ subsistit, fieri posse, exinde manifestum evadit, quia humana Christi natura non saltem suas habet operationes naturales, adeoque actum primum; verum etiam operationes personales, ac proinde actum primum Subsistentiæ, nō quidem proprium (alias unum per se constituere non potuisse) sed communicatum & personale. *Conf. Plur. Rever. atq; Excell. Dn. D. Calov. in Metaph. p. 488. sequ. Excell. Dn. D. Scharff. in Theor. Transc. p. 518. sequ.*

### VIII.

*Potentia activa, quæ non transfertur in actum,  
est nulla.*

Si scilicet actus non impediatur vel ex naturæ vicio, vel ex requisitorum concurrentium absentia. Alias hoc in naturalibus agentibus omnino valet, cùm DEUS nullam creaturis potentiam frustra concesserit, sed unicè propter actum. Frustra ergo stellis assignatur quies, si nunquam quiescunt: frustra terra ascribitur mobilitas, si nunquam movetur. Verùm ad potentiam passivam hoc Axioma extendendum non est, cùm non semper necesse sit, ut illa in actum ducatur. Sic licet in homine detur combustibilitas, non tamen necessarium est, ut actu comburatur.

**ULB Halle**  
005 129 222

3



*Rachio*

WD 17



**Farbkarte #13**



DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM  
SEXTA  
DE  
**AFFECTIONIBUS**  
ENTIS DISJUNCTIS IN  
GENERE, ET IN SPECIE  
DE  
ACTU ET POTENTIA  
QUÆ  
DIVINA ASPIRANTE GRATIA  
PRÆSIDE  
VIRO  
**CLARISSIMO ATQVE PEREXIMO**  
**Dn. M. CHRISTIANO BILEFELD**  
Lubec: Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Ad-  
juncto meritissimo, Fautore ac Promotore suo  
æternùm devenerando  
Publico dextrè Philosophantum examini  
exhibetur  
a  
**M. CHRISTIANO HOPNERO**  
Francenberga - Misnico  
AUTHORE.  
Ad d. 22. Novembr. Horis matutinis  
In Auditorio Minoris  

---

*WITTEBERGÆ*  
Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.  
ANNO M DC LI.